



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

Vtru[m] liceat furari in necessitate? 7

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38762**

rum hominis, pro quo quis morte punitur: ut patet Exodi 21.

Ad tertium dicendum, quod illud quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil. Et ideo in his quæ minima sunt, homo non reputat sibi nocumentum inferri. Et ille qui accipit, potest presumere hoc non esse contra voluntatem eius, cuius est res. Et pro tanto si quis furtivè huiusmodi res minimas accipiat, potest excusari à peccato mortali. Si tamen habeat animum furandi, & inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale, sicut & in solo cogitatu per consensum.

ARTIC. VII.

*Utrum liceat alicui furari propter necessitatem?* 374

**A**D septimum sic proceditur. Videtur, quod non liceat alicui furari propter necessitatem. Non enim imponitur poenitentia nisi peccanti. Sed extra, de furtis † dicitur. Si quis per necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, poeniteat per hebdomadas tres. Ergo non licet furari propter necessitatem.

¶ 2 Præterea, Philosoph. † dicit in 2. Ethic. quod quedam confestim nominata, convoluta sunt cum malicia, inter quæ ponit furtum. Sed illud quod est secundum se malum, non potest propter aliquem bonum finem, bonum fieri. Ergo non potest aliquis licitè furari, v: necessitati suæ subueniat.

¶ 3 Præterea, Homo debet diligere proximum, sicut seipsum. Sed non licet furari ad hoc, quod aliquis per eleemosynam proximo subueniat: ut † Augustinus dicit in libro contra mendacium. Ergo etiam non licet furari ad subueniendum propria necessitati.

**S**ED contra est, quod in necessitate sunt omnia communia: & ita non videtur esse peccatum, si aliquis rem alterius accipiat propter necessitatem sibi factam communem.

RE-

Inf. 9. 110  
a. 3. ad 4  
Et 4. d. 15  
q. 2. ar. 1.  
q. 4 ad 2.  
Et a. 4. q.  
2. ad 2. c.  
a. 5. q. 1.  
cor.  
† c. si quis  
de furtis.  
† ca. 6. ad  
fi. 10 5.  
† ca. 7. in  
me. 30. 4.



RESPONDEO dicendum, quòd ea quæ sunt furis humani, non possunt derogare iuri naturali, vel iuri diuino. Secundum autem naturalem ordinem ex diuina prouidentia institutum, res inferiores sunt ordinatæ ad hoc, quòd ex his subueniatur hominum necessitati: & ideò per rerum diuisionem, & appropriationem ex iure humano procedentem non impeditur, quin hominis necessitati sit subueniendum ex huiusmodi rebus. Et ideò res quas aliqui superabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum sustentationi. Vnde \* Ambr. dicit, & habetur in Decretis distiuct. 47. Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis: miserorum redemptio, & absolutio est pecunia, quam tu in terram defodis. Sed quia multi sunt necessitatem patientes, & non potest ex eadem re omnibus subueniri: committitur arbitrio vniuscuiusque dispensatio propriarum rerum, vt ex eis subueniat necessitatem patientibus. Si tamen adeò sit euidens, & vrgens necessitas, vt manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subueniendum (puta cum imminet personæ periculum, & aliter subueniri non potest): tunc licite potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subuenire, siue manifestè, siue occultè sublati. nec hoc propriè habet rationem furti, vel rapinæ.

Ad primum ergo dicendum, quòd Decretalis illa loquitur in casu, in quo non est vrgens necessitas.

Ad secundum dicendum, quòd vt re aliena occultè accepta in casu necessitatis extremæ, non habet rationem furti, propriè loquendo quia per talem necessitatem efficitur suum id quod aliquis accipit ad sustentandam propriam vitam.

Ad tertium dicendum, quòd in casu similis necessitatis etiam potest aliquis occultè rem alienam accipere, vt subueniat proximo sic indigenti.

\* Ser. 81.  
nō procul  
a fi 10. 3.  
Et hūtur  
dist. 47. c.  
Sicut ij.